

foro quam darent pro prompta pecunia, quod eciam cives ipsius civitatis facere consueverunt.

Item dicit, ut audivit, quod plebanus de Rzebrziko habuit concubinam et pueros cum eadem, sed dicit, quod a visitatione proxime preterita nichil audivit de eodem.

Item dicit, quod in festo sancti Procopii proxime preterito [4. VII.] elapsi sunt duo anni, sicut Zacharias, tunc temporis purgravius castri in Mendico, et Petrus, notarius ibidem, ex mandato domini Petri de Kost, ut ipsi dicebant, in campus ecclesie fecerunt fodere lapides pro parando muro civitatis in Mendico, quos fossos et fractos fecerunt deduci per agros dictae ecclesie vias publicas<sup>a)</sup> faciendo et sue ecclesie campos destruendo et tota-liter anichilando.

Item dicit, quod cives dictae civitatis venditis domibus propriis in civitate construunt ipsis domos de novo in strata publica, que a longo tempore ducebat per civitatem predictam, viam aliam publicam per aream domus plebani faciunt et fecerunt et aliqui eciam partes domorum suarum super arream locaverunt et sepius moniti desistere noluerunt.

Item dicit, quod quando predicti lapides fodebantur et per campos ecclesie duci, tunc ipse plebanus advocatis dominis Thoma, plebano in Vena-rona, decano Podbrdensi, Johanne de Chrowicz, Johanne de Zbyroh, Ulrico de Zdycz, ecclesiarum plebanis, suplicavit dicto purgravio, quod ipse in dampnum ecclesie talia fieri non permetteret, qui sic monitus id facere non curavit.

Item dicit, quod quadam vice dictam viam publicam sic per campos sue ecclesie factam, lapidibus magnis quadratis obstruxerat sibi talia dampna fieri non permittendo et demum ipse purgravius veniendo cum magno terrore dictos lapides fecit effodere et dictam viam ibidem fecit, que iam pro publica habetur, per que est in magna parte dampnatus.

f. 40 v Item dicit, quod ab antiquo tempore capellani castri in Mendico dabant omne offertorium, quod in dicto castro proveniebat plebano civitatis predicte, quod nunc facere nolunt et nescit, per quem modum hoc devenit.

Bartholomeus dictus Rod, presbyter a XVI annis, vicarius dictae ecclesie a festo sancti Georgii [23. IV.] anni presentis, olim vicarius in Stbeczna, iuratus et interrogatus dic[it], se nullam habere concubinam neque scit, quid sit concubina, et de statu plebis nichil scit deponere, quia noviter est ibidem vicarius.

Item dicit, quod tempore, quo fuit vicarius in Stbeczna antea et post, plebanus ibidem, dominus Wolkermarus, est totus curiensis et est capellanus regis Romanorum, et quod nunquam officiat missam in sua ecclesia aliquo die dominico, et dicit, quod interdum in medio anno, interdum in quartali unius anni venit ad ecclesiam et ibidem officiat et statim recedit.